



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Anno M.D.LXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Observat san-
ctaribus pia
opera.*

*Redit in Ger.
1574. 1575. 1576.*

Nam quemadmodum Hæretici, quia vasta in Vibe, & in omnium gentium quasi colluuiione necesse est aliquid inesse vitiosum, atque reprehendendum, ad id vnum oculos aduertunt, & inde indignissimè Romanorum mores omnes describunt, & lacerant; ita famulus Dei, quæ recta, quæque laudabilia essent, consectabatur, tum sui profectus causa, tum vt oculatus testis simpliciorum animos in Germania, calūmniis hæreticorū præoccupatos dedoceret. OEnipontum deinde reuersus Euangelici interpretis munus, & Mariani, quod instituerat operis conditionē repetiit, haud sine graui labore distrahens, atq; diuidens curas. Sed quando præsidibus ita placuerat ferebat vtramq; crucem libens, deq; manu Domini accipiebat omnia: illud modo solitus, vt perpetuas accessiones perfectæ virtuti adiungeret, indiesq; cumulatius religiosi viri officio responderet.

- 1574. Ad hunc modum, eodemq; tenore proximi
- 1575. anni quartus, quintusque supra septuagesimum
- 1576. acti, nec fermè aliter sextus: nisi quod per Augustum, altera, quam supra indicaui, Missione Pontificis, vt Ioanni Morono Apostolico Legato ad esset, Ratisbonam concessit. Conuentus habeba-

tur Imperij: nec Canisius siue priuatis sermonib⁹,
siue de loco superiore verba faciēs religionis pro-
uehendæ locum ullum omisit.

Iamq; constanter durans tot inter obturban- 1577.
tes, fatigantesq; curas, agensq; semper ac moliens,
atq; vltra promouens aliquid, de Maria Virgine
incomparabili, & Dei genitrice sacrosancta præ-
clara monumenta elaborarat: quæ vel maximo,
& otiosissimo scriptori decora sint. Itaq; vbi pri-
mum finis conuentui impositus est, Ratisbona
Ingolstadium se recepit, editioni eorum coram
ipsem præfuturus. Et quia prius de Ioanne Ba-
ptista opus in Archiducis Ferdinandi nomine e-
misera, Marianum hoc Alberto Duci Bauariæ in
animi grati documentum, pro singulari caritate,
qua Princeps benignissimus Societatem totam
complectebatur, dedicauit. Absoluta est editio
ineunte æstate anni 1577. Ex qua quam nihil sibi
Canisius, nisi laborem assumpserit, vel ex eo faci-
le constat. Quippe cum aliquot librorum eorum
exempla mitteret Romam, satis habuit indicare
quarum habenda ratio personarum videretur in
iis distribuendis, integrum autem voluit esse Præ-
posito Generali, & tradere quibus mallet, & suo,

Marianum o-
pus edit.

Modestia, &
paupertat.

O 2

non